

33.

PROGRAMMA

In Funere

*Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, & Consultissimi*

VIRI

DN. NICOLAI  
JERRE,

J. U. L. & Reip. Hamb. Consul Senioris,  
Primi, Optime meriti,

Scriptum

*Nomine Professorii Collegii*

ab

EBERHARDO ANCKELMANN.

Ling. Hebr. P. P. & p. t. Rector.

*Exequiali die IX. Augusti, Anno Christi*  
cl. bc LXXVIII.

---

Typis GEORGII REBENLINI, Senatus, Gymnasij  
& Scholæ Johan. Typogr.



**I**nter memorandos Judices, ac celebratissimos moderatores, qui populo Israelitico, summo Dei beneficio, rebus adversis ingruentibus, obrigerunt, post obitum Abimelechi, ad conservandum Israel exsurrexisse Tholah filium Puæ, & post hunc JAIR Gilhaditam, divina Veteris Testamenti oracula nobis inspicientibus pandunt. Hujus Viri imperium, quod duorum ac viginti annorum spacio circumscriptum fuisse legimus, tanta comitata est felicitas, ut non modo triginta civitates, villas Jairi nuncupatas, habuerit in potestate, triginta filiorum parens, sed etiam electus ille in Dei peculium populus, qui, vivente Abimelecho, & post JAIRI tempora, variis exterorum hostium incursionibus fuit obnoxius, sub vite sua ac ficu secure habitare quiverit, & in suavissima pace rebus suis præesse. Quod etsi nemini, nisi pacis omnis auctori, DOMINO DEO NOSTRO, merito acceptum ferendum est beneficium, a quo cum temporariam suam nec manentem felicitatem, tum æternam illam, & nunquam desitura beatitudinem pendere Christianus orbis novit: tamen asseverare nullus dubito, quin prudenti etiam JAIRI hujus administrationi, divini favoris aura sublevatæ, tribuendum quodammodo sit, quod illius beneficii Israelitæ fuerint capaces. Etenim pro sua pietate, ac justitia, hic JAIR in illud unice incubuit, dum ad gubernacula Republicæ Israeliticæ sedere ei concessum fuit, ut subditi easdem virtutes suas studiose æmularentur, omni genere vitiõrum, quibus ira divina provocatur, procul esse jussio. Quo etiam factum est, ut, quantum diu JAIR hic (quem, vocis originem intuens, illustratorem judicemque populi sui, non male expresseris) rebus humanis interfuit, ac nobilissimum hoc lumen populo DEI splendorem atque decus communicavit, & quasi circumfudit, nullæ horrendæ ac exitiales tenebræ ei obsuerint: quod multo aliter se habere cœpit postea, quam ex hac mortalitate JAIR iste ereptus, ad æternas illas beatorum sedes divino jussu concesserat. Amisso enim tam pio ac prudenti rerum suarum Moderatore, Israelitæ a recta virtutis via deflectentes, tetra impietati & flagitiis, Deo ac bono cuique exosis, fræna laxarunt, ac omnia in pejus ruere cœperunt, & retro sublapsa referri, ut Poetæ verba nostra, faciamus. Ceu fere contingere solet, ut ventis frementibus, & atris tempestatibus subortis, in brævia & syrtes præceps agatur navis, intempestive perito destituta magistro, quæ, eo præsentem atque excubantem, recta in portum ferri videbatur. Aut, uti fieri quandoque consuevit, ut clades non exigua immineat ædificio, magnifico quamvis ac facis specioso, subrutis, quibus primum nitebatur, fundamentis. Nobis, ne longius abeamus, etiam talis JAIR divinitus obrigerat, qui non per XXII. sed XL. fere annos, suo lumine tenebras imminentes, & communi Civitatis nostræ luci obsuturas, quantum in eo situm

fuit, provide ac feliciter repulit discussitque, Magnificus, Nobilissimus, atque Consultissimus Dominus NICOLAUS JARRE, J. U. L. Republicæ nostræ, Consul Senior, ac Primarius. Qui linguæ sanctæ cognitione animum suum imbuerunt, facile persentiscunt, Inavissime inter se conspirare utrumque nomen, tum יָרֵי quo ille Israelitici populi iudex fuit insignitus, tum יָרֵי quod obtinuit noster beatissimus Consul. Nimirum, ut ille JAIRUS lumine suo gentis Israeliticæ gloriam atque decus illustravit, ac eandem secundum præscriptam iustitiæ normam iudicare in magno habuit negotio: ita & hunc nostrum JARRIUM egisse, quali illius laudabile exemplum semper ante oculos habuisset, asserere non dubitamus. Utinam vero adhuc, diutius hunc JAIR, divina gratia nobis, nequicquam nunc, eheu! requirentibus, concessisset! Utinam Respublica nostra illis ac imperterriti hujus Papiniani prudentissimis fidelissimisque consiliis posthac etiam niti potuisset! Utinam Ecclesiæ nostræ, Gymnasio nostro, & Scholis nostris, tanti Viri patrociniū in plures adhuc annos experiri licuisset! Utinam denique ad hunc Patriæ Patrem confugiendi misero clienti diuturnior facultas mansisset! Sed est supra nos Deus, qui tacita ratione omnia regit, ac gubernat: neque potest ille, qua est infinita bonitate, quicquam vel immittere, vel otioso aspectu transmittere, quod non multo optimum sit, ac generi nostro salutare. Abstulit ille hunc Virum, pro imperferutabili suo consilio, non immatura quidem & improvisa, sed intempestiva tamen morte: & non solum hoc ipso multas privatas familias ingenti luctu affectis, sed etiam toti patriæ nostræ durum vulnus infixit. Nos quidem, procul omni curiositate, sileamus oportet, tanto vulnere affecti, & quam capere non possumus divinam dispositionem, religiose eandem adoremus: illa spe potissimum nos consolantes, quod, etiamsi e conspectu nostro sit subductus noster ille JARR E, perperuo tamen nobiscum sit futurus יָרֵי יָרֵי Dominus ille qui providebit. Interea autem oblivisci minime debemus, hunc potentissimum rerum humanarum arbitrum seris ac ardentibus sollicitate votis, ut ne, tanto lumine nostræ urbi adempto, idem nobis eveniat, quod Israelitis obtigisse in sacro codice narratur, sublato in æternum domicilium illorum commemorabili JAIR O. Cumprimis, quoniam turbatissima nunc sunt tempora, & ubique adeo labefactatus sit atque concussus divinarum pariter ac humanarum rerum status, ut haud fere dispar Hierosolymitano funeri funus, quo sacri ambones proxime elapso die dominico sat graviter personuerunt, pluribus adhuc Civitatibus pertimescendum esse videatur. Neque enim solum funestissimi belli incendium extra Germaniæ nostræ fines deflagrat: sed vagatum pridem latius est, & viciniora quæque corripere cœpit. Custos Israelis quidem omen abesse jubeat, verendum tamen est, ne inter cæteras malorum cohortes, quibus effrenam hominum, malitiam urgere ac castigare summus ille iudex instituit, hoc etiam referri debeat, quod tam utilem, tam necessarium Republicæ nostræ Virum subtractum ad sese evocavit. Quo magis nostrò convenire muneri existimabimus omnes, ut ere-

tis

Etis animis excubemus, implorantes DEUM, - ut illas pene cervicibus nostris imminentes iræ divinæ flammæ, propter ardentissimas Christi lacrymas, cum nostris lacrymis non posimus, extinguere clementissime velit. Sed ea res cuique bono, & de confectione sive damno Josephi vere sollicito, uti speramus, cordi ac curæ erit, (neque enim licitum nobis hic est in illo genere esse operosis:) nos nunc id agemus, ut devota nostri Consulis ac Patriæ Patris memoria comiter colatur, ac vitæ ipsius ordo aliis etiam proponatur ad felicem imitationem. • Hoc enim ipso confidimus fore, ut, cum ille e medio nostri sit cœlesti nutu remotus, illustrium tamen ejus virtutum, quas optimam, ac benignissimum Numen in illum haud parca manu contulerat, quodammodo expressa imago superet, & ad posteritatis memoriam perveniat. Quod tamen magis, prout permiffura est temporis ratio, & virium nostrarum imbecillitas patietur, non, ut tanti Viri nomen atque dignitas meretur ac exposcit, officii nostri memores, exsequemur.

Natus igitur est Hamburgi, cum annus nati Salvatoris laberetur supra sesquimillesimum sexcentesimus & tertius, die XIX Novembris, Parentibus probis & conspicuis, qui ei ad sacrum regenerationis laverum NICOLAI nomen indiderunt. Quod nomen omen habuisse videri queat. Etenim cum, jactis domi primis pietatis & literarum fundamentis, adolefceret, & a parente anno c. 1719. optimis Gymnasio nostro tunc præfectis Doctõribus & Professoribus commiffus esset, ceteros commilitones longo post se reliquit intervallo, & industriæ victoriam semper obtinuit. • Aliquot annis in patrio Gymnasio sic exactis, cum iisdem Magistris & formatoribus suis maturus videretur eundo in Academiâ, ablegatus est primum Wittebergam, qua digressus Marburgum, postea Tubingam, & Argentoratum, ac tandem Basileam coneesit. In quibus nobilibus divinæ & humanæ sapientiæ emporiis eum reperisset excellentes in omni eruditionis genere viros, applicare potissimum iis sese familiarius voluit, a quibus suæ virtutis fieri posse multum accessionis judicavit. Qui cum nihil exile, nihil proletarium in adolescente animadverterent, id operam dederunt sedulo, ut cupidissimus ejus discendi animus omni liberali doctrina polior redderetur. Attulerat autem jam tum domo præclaros, tam in rebus Philosophicis, quam Jurisconsulto scitu necessariis profectus, eosdemque in Academiis sub Clarissimis Professoribus ita auxerat, ut summis honoribus, in utroque jure obtinendis, dignus censeretur. Hos non ambitione, ut multorum mos est, sed merito suo consecutus, peragravit Galliam, Italiam, magnamque partem Germaniæ, ut facies variarum Reipublicarum, magnorum Principum aulas, propius cognosceret, & virorum celeberrimorum sermonibus, utilissimaque librorum cognitione, interiorem literarum & Jurisprudentiæ peritiâ adangeret. In his locis cum solertem animum per integrum decennium vario pavisset, nec sibi permetteretur domo diutius abesse, reversus est in patriam. Anno hujus seculi XXXII. contraxit matrimonium cum Nobilissima, ac genere & virtute ornatissima Virgine ANNA, Spectatissima & Prudentissimi Viri Domini Georgii Schröteringii, Duodecim-Vi-

ri, lectissima filia. Hæc ternas foemellas ex eo peperit, quarum unam, quæ natu minima erat, scitulam pulchellulamque puellam præmatura morte amisit. E cæteris alteram, ANNAM locavit Nobilissimo, Amplissimo, ac Consultissimo Viro Domino DITERICO MULLERO. J. U. L. Senatori ac Scholarchæ primo, optimeque merito. Altera, DOROTHEA, connubio juncta fuit eidem Nobilissimo, Amplissimo, ac Consultissimo Viro, Domino DANIELI voss Kampen/ J. U. L. Senatus quondam nostri membro, insigni, ante aliquot autem annos morte nobis erepto. Hæc duo filiarum conjugia liberis a Domino ita fuerunt fecundata, ut beatus noster Consul XII. inde nepotes neptesque summo cum gaudio suis oculis virtus usurpaverit, parem fere cum πολυτέκνω JAIR felicitatem affectus. Divisus autem, Dei O. M. nutu, fuit conspicuus hic numerus dimidio altero cedente cælo, altero terris adhuc superante. Ex hoc binæ neptes, supra laudati Domini MULLERI filix, in matrimonium collocatæ sunt: natu quidem major GERTRUDIS, Nobilissimo, & Consultissimo Viro Domino JOHANNI REINBOLTIO, J. U. L. Bergedorpiensi Præfecto, natu vero minor, ANNA, Nobilissimo ac Consultissimo Viro Domino ULRICO PAULI, J. U. L. & Practico celeberr. quarum illa fausto quatuor liberorum partu, diversi sexus JARRIUM abavum fecit. Sed ad Eundem revertamur. Is cum ob egregias animi dotes inclaruisset apud cives suos, fidemque suam ac integritatem pluribus probasset, omnium suffragio publicis muneribus fuit admotus. Ac primum quidem anno hujus seculi XXXIX. in amplissimum Ordinem Senatorium cooptatus est. Orbatu autem carissima & necessaria maxime vitæ socia, cum cogitationes suas inter familiam & civitatem dividere minus commode posset, quas huic præcipue impendere decreverat, boni magistratus exemplum secutus: hinc fiebat, ut Nobilissimam & omni virtutum genere condecoratam Virginem, Spectatissimi Viri, & Primarii Negociatoris JACOBI MORSII filiam MARGARETAM sibi Conjugem expeteret. Ex qua in matrimonium sibi data, denuo duorum liberorum masculorum parens factus est, quos tamen jam tum is, qui elargitus erat, ad se recepit. Post, anno quinquagesimo, summo cum applausu omnium ad Consulare Dignitatem est evectus. Instituti nostri ratio non permittit, ut latissimum campum, qui hic nobis sese aperit, dicendi de variis ejus rebus, cum domi tum foris Reipublicæ causa gestis, ac legationibus susceptis, feliciterq; confectis, ingrediamur. Illud tamen non possumus, quin addamus, *summum eum fuisse Jurisconsultum, summum Senatorem, summum Consulem.* Habuerat enim in studiis suis adminicula universa: ingenii incredibilem capacitatem, acrimoniam, judicii raram, ingentem proficiendi ardorem, laboris patientiam, & illi serundo sanum atq; firmum corpus, consuetudinem cum viris πολιτικωτάτοις & πρακτικωτάτοις; quæ pleraque sunt, quibus ad solidam eruditionem perveniri potest. His cum provide & constantex uteretur, evenit etiam, ut longe lateque virtus ejus emineret, & suspi-

& suspicetur. Neque vero postea, cum falces ei demandarentur, & iudicandi, cives suos potestas facta esset, sui similis esse dedit. Etenim iustitia civitates, a parvis & humilibus profectas principiis, brevi tempore ad magnam potentiam pervenisse, iniustitia autem florentissimas & opulentissimas breviori tempore funditus concidisse secum optime reputabat. Itaque semper id agebat, ut vixi coerteret, a potentiorum iniuriis tenuiores defenderet, cuique suum tribueret, juris aequabilitatem inter omnes proportionem quadam tueretur. Neque vero in eorum erat numero, qui non tam rationem muneris sui, quam magnitudinem munerum alienorum spectant: qui libentius in numerorum, quam in argumentorum, ab utraque dissidentium parte afferri solitorum, ponderibus expendendis occupantur, & utrius gravior sit manus, ejus causam quoque meliorem videri pronunciant. Ab hoc vitio INCORRUPTUS Viri animus longe erat alienissimus. Nam in illo praecipua virtutum omnium & salutis verae fons, pietas caeteris ita se associaverat, ut ab illis divelli se non pateretur. Hanc enim cum in LXXV. aetatis annum sedulo coluisset, factum est, ut a patre caelesti abitus sui mature admonitus, ante aliquot menses infirmitate, valetudinis corripere. Quae cum remittere nollet, cedendum ei fore facile collegit, & in lecto se ad beatam ex haeredita migrationem composuit, immortalitatis illo viatico & aeternae vitae pignore prius suscepto. Hic mundana sollicitudine prorsus amandata, animum & cogitationem ad Salvatorem suum unice convertit, (in cujus Crucifixi merito se confidere & salutem sperare, expressis verbis pridie obitus indicabat) condonatis quoque vere offensis, quibus aegre ipsi factum erat. Sed invalescente totius corporis imbecillitate, nequicquam valentibus, quae medica manus adhibebat, preciosissimis medicamentis, superata tandem est natura. Igitur exhaustis viribus, die hujus mensis secundo post duodecimam horam inter preces & lacrymas cognatorum ac familiae, ultima rerum linea mors tandem est subsecuta, cum vixisset in hac mortalitate annos LXXV. Translata nunc est beata Viri anima ad magnam aeternamque pacem, ad perenne illud cum Deo & beatis spiritibus consortium. Illic perspicit (N<sup>m</sup>) ineffabili cum voluptate sum, caetera omnia, quae cum Israelitarum Iudice JAIRO omnibus verae pietatis aemulatoribus promissa sunt, tum in primis salutare, vel, secundum Hebraicam veritatem, JESUM suum crucifixum. Nos meliora superstitiosis gentilibus edocti, non invidemus JARRIO nostro hanc, quam nulla humana ratio capere potest, felicitatem, sed potius unanimi mente de tanto bono ei congratulabimur, quod incredibili Patris aeterni liberalitate, ac preciosissimo unigeniti filii merito, ei obtigit. Ne autem nobismetipsis deesse videamur, admirabilem illum Consiliarium, IMMANUELEM, postremo supplicibus votis adorabimus, ut pro immensa sua gratia vulnus, quod Reipublicae, quod Curiae, quod Ecclesiae, earumque seminariis Scholis, inflatum est, suo tempore velut optimus medicus obligatum sanet, & excellentissimis JARRII nostri virtutibus

tibus respondentem Virum sufficiat, qui gloriæ divinæ & justitiæ cum Mardochæo JAIRI filio, qui Gymnasii Scholæque salutem cum JAIRO illo apud Marcum & Lucam, qui denique communi urbis nostræ commodo fervire omnibus viribus nitatur. Servet ille Pater miserationum hanc nostram Rempublicam, protegat, tueatur: & stantes adhuc ejus columnas superstitibus nulla vi aut injuria patiantur prorii. Consoletur ille, qui Deus omnis consolationis est & audit, quorumcunque corda gravis hic dolor perfodit: in primis erigat ac sustentet clarissimas in luctu nunc confidentes familias, quas propius hic inusitatus inceror corripuit, & ab illis in posterum clades ejusmodi & damna pro sua voluntate averruncet. Faxit denique præpotens ille rerum omnium moderator Deus, si quando lux ultima & decretoria illa hora nobis etiam advenerit, ut ad unum omnes felicissimo illo æternæ vitæ portu excepti, & majoris luminis participes redditi, placidissimo obtutu Crucifixi nostri Salvatoris persuamur. Exequiarum iusta ex sanguine corpori hodie fient: ad quæ frequentanda, cum summorum beati Viri in Rempublicam nostram meritorum memoria quemque invitare satis videatur, pluribus hic idem rogare rem supervacaneam existimamus. Satisfaciens suo officio omnes boni studioque in deductione tanti funeris curabunt, ut, exemplo nostri JARRII Apostolum secuti nihil potius scire desiderent, nisi

JESUM CHRISTUM eumque  
CRUCIFIXUM



Faint, mostly illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side of the page. Some fragments like 'F. VXXII' and 'F. VIIII' are discernible.